









1669.

1. Fugmann, Joh. Christophor : De iuribus lega-
torum.
2. Kirchmaier, Georg Korpus : De auguribus Romano-
rum.
3. Kirchmaier, Theodor : De amentatione cada-
verum, fallaci illo praesentis homicidae
indicio. Von d. Bluten eines gewaltam erschlagen
Cörpers . . .
4. Kirchmaier, Theodor : De civitatibus Haemeticis.
5. Lederer, Michael Fridr : De tutelis.
6. Lederer, Michael Fridr : De contractibus
innominatis
7. Lederer, Michael Fridr : De interesse,
ad l. un. C. de sent., quas pro eo quod inter-
est ete etc.
8. Lederer, Michael Fridricus : Feudorum proae-
lu dia prout ab antiquis vocantur.

9. Lederer, Michael Fredericus: De jure cur-
sum publicorum.
- 10.^a Leiser, Wilhelm: Positionum ad jus feudale
dodeces IV.
- 10.^b Leiser, Wilhelm: Positionum ad jus feudale
dodeces V.
11. Martini, Werner Theodor: De libera imperii
nobilitate Franconiae, Sueriae, et penet
tractum Rheni, an status imperii dicenda
sit?
- 12.^a Martini, Werner Theodor: De jure venandi
12.^b Nergens, Fructuosus: De majestatis criminibus
ejusque jure
13. Ritter, Christoph: De dominio revoca-
bili.
14. Rotherseen, Christianus: Jus armorum.
15. Straussius, Godofredus: De servitute,
ne limitatus afficiatur.
16. Thilo, Georg Melchior: De jure erant.
- 12.^c Nergens, Fructuosus: De majestatis criminibus
ejusque jure.

17 & 18^a Ziegler, Kasper: De procuratoribus.

2^a Exempt.
18^b Finck, Johannes Jacobus: De interpretatione legum.
1670. Pa Adlung, Johannes Christianus: De usu et occasione
siderum poetico

1^a et 1^b Lyses, Wilhelm: De concursu et graduatione.

creditorum in foro electorali Saxonico concurren-

tiarum 2^a Exempt

2^a Lyses, Wilhelm: De immutabilitate et mutabili-
tate juris.

3 Lyses, Wilhelm: Dodecas~~is~~ propositionum ad
jus feudale.

4 Martini, Werner Theodor: De ortu et processu juris
Justinianei

5 Martini, Werner Theodor: De transmissione actionum

6 Martini, Werner Theodor: De sequestro.

7 Rötter, Christophorus: Decanus facultatis juris-
ticae civitatis academicae. (ad audiendum thema:
De iudice legati delinquentis competente.)

1670.

8. Ritter, Christophorus: De rege Romanorum.
9. Rotemsee, Christian: De jure municipii.
10. Rothe, Ehrenfried: Propositivum ac naturale.
11. Scharfius, Dr. Fredericus: De foederibus.
12. Schwytzfleisch, Herr. Samuel: Lineamenta Juris
mabica.
13. Schwytzfleisch, Herr. Samuel: De historia civili
Venetum regimen adumbravit.
14. Strauchius, Godofredus: Utrum quis ullo jure et
ullo in eum sibi ipsi violentas manus inferre
possit?
15. Wildvogel, Godofredus: De distributione justitiae.
- 16^a. Ziegler, Konrad: De ratificatione ejusque
effectu juris.
- ~~16^b. Ritter, Christophorus: De jure naturali~~
- 16^b. Ritter, Christophorus: Coll. juris Dei Secularis: Per
gramm., quo ad orationem inauguralem Augusti Beckeri
instit. cf. No 7. 1670. V. h. b. gae.

390b.

1550.

A M

Q. D. 'B.' V.
 DISPUTATIO POLITICA
 DE
**JURIBUS LE-
 GATORUM,**

Quam
 In Electorali ad Albim Academia

Z

Sub
 PRÆSIDE
 VIRO CLARISSIMO
 DN. M. JOH: CHRISTO-
 PHORO FUGMANNO,

Fautore suo, ac Conterraneo æviterno observantiæ
 cultu prosequendo

Publicæ eruditorum ventilationi exponet
 JACOBUS CHEMNITIUS, Belzig: Saxo,
 A. & R.

In Auditorio veteri ad d. 22. Maji Anno M DC LXIX.

Hor: Ma

VVITTEBERGÆ,
 In Officinâ Fincelianâ excudebat Elias Fiebig.

54.



1551

O. D. E. N.
REPERTORIUM POLITICUM
DE
TURRIBUS I. E.
GATORUM



I. N. J.

§. 1.

Non propriæ solùm civitatis instituta effla-
gitât administros, sed incidūt etiam tempora, quibꝯ per
interpretes ac nuncios Regiæ voluntatis apud externas
Resp. agendum. Cùm v. nec commodū semper Principi à Regno
abesse, & *caput rerū*, ut Tiberius apud Tacitū loquitur, *omittere*, L. I. C. 47.
sæpè nec tutum, imò à dignitate remotum esse videatur: pul-
chrò inventò, communiq; gentium approbatione recepti sunt
Legati, qui in consortium expeditionum publicarum trahun-
tur, & jam ad sancendam pacem, jam ad fœdera pangenda,
jam etiam ad indicenda bella, vel alias ob causas emittuntur: in
quos simul persona Majestatis transfunditur, ut non minùs mit-
tentis auctoritati, quàm Legatorum juribus, admissioni scilicet
& sanctitati consulatur.

§. 2. Quâ ratione simul intelligitur, Legationem non nisi cum
paribus intercedere: quælibet autem Resp. par est alteri. Nec
refert, Majestatis exercitium in unius imperio clariùs elucere,
quàm ubi per plurima capita est divisum: quia sufficit, quòd ju-
ra majestatis utrobiqu; exerceantur. Parum quoq; refert ad
summam potestatem, locorum, provinciarumq; multitudo, &
amplus Comitum, Baronum, nobiliumq; numerus: id quod
constat de minoribus Helvetiorum Cantonibus, nec non de Lu-
ca, Geuevâ, Genuâ, quarum civitatum imperia adhuc muris
clauduntur. *Majestas æquè convenit, qui uni provincia impe-
rat, ita ut in omnibus summam potestatem obtineat, ac si pluribus
imperaret.*

imperaret. Ut verba hinc mutuemur ab Excellentissimo
Pract. Domino Wendelero, Viro nostrâ laude majore. Æqua-
Philos. litatem enim conciliat, neutram alteri obstrictam
L. 11. p. 20. esse, ut ab eâ leges accipiat. Atq; hinc nec Provinciales,
 jure gentium, quod inter gentes est diversas, sed jure civili fru-
L. 1. c. 24. untur. Legatus apud Livium publicum se nuncium po-
Philipp. 6. puli Romani vocat. Cicero, ut ostendat, jus Legatio-
 nis civi non convenire: *ad extraneos, inquit, mitti Legationes,
 at cum civibus per Legatos agere est turpe est absurdum.* Apud
L. 1. hi- Tacitum equeidem censuerunt Patres, mittendos ad Germani-
stor. c. 19. cum exercitum Legatos, sed Legatorum titulum liberiùs hic u-
Com- surpari, rectè monet magni nominis Vir Boeclerus.
ment: h. l.

§. 3. Quia autem Majestas intimam naturam Legati con-
 stituit, sine quâ omnis expirat, nec Pontifici quidem Romano,
 quippe qui & ipse Majestate pollet, potestas mittendi Legatos
 deneganda erit. Nemo sanè Principum de classe distribuendi
 suos Legatos, tam sollicitus est, quàm Pontifex Romanus. Alii
 enim dicuntur emanare ab ipso fonte, alii non emanare, sed
 constitui, alii nec emanare nec constitui, sed officium habere
 cum dignitate conjunctum. Primi speciali sensu appellantur
 à latere, quoniam de latere Papæ, cui semper adsunt, emittun-
 tur. Secundi, qui non emanant, sed constituuntur, audiunt
 nuncii Apostolici. Exemplum sit in nunciis Hispaniarum,
 Franciæ, Poloniæ, Venetiæ, Neapolis, Sabaudia & Floren-
 tiæ. Tertii deniq;, qui non emanant, nec constituuntur, sed
 officium habent cum dignitate conjunctum, & Legati nati di-
 cuntur, quia cum dignitate, quam acquirunt, fiunt ipso jure Le-
 gati, qualis olim fuit Episcopus Cantuariensis, Eboracensis in
 Angliâ, Bituricensis in Aquitaniâ superiori, & Rhemensis in
 Franciâ, de quibus conferri potest scriptor Lusitanus Cla-
Jur. Ec- rissimus Augustinus Barbosa. Possent equeidem tales di-
cles. stinctiones Legatorum suorum Papæ Romano, prout
L. 1. c. 15. 12. summam
seq.

1559.
summam habet Majestatem in territorio; haudquaquam invi-
deri, nisi eas intuitu orbis Christiani, cujus caput videri vult, per
maximum scelus affectaret. Nam dum, ut Patriarcha, aut E-
piscopus Oecumenicus (quem titulum jactitat) ad suae reli-
gionis socios Reges, tanquam se inferiores emittit, vel ab his
missos ceu superior excipit, gubernationem Ecclesiarum, ad i-
psos Principes spectantem, nefario ausu sibi vendicat. Verum
enim verò, cum Ecclesiastica Pontificis Romani Monarchia re-
ctæ rationi repugnet, atq; planè diversi generis sit ab aliis in hu-
mani societate Principatibus, approbante Celeberrimo domino
Conringio; hinc, quid de Ecclesiasticis ejus (non loquor secula-
ribus) Legatis judicandum sit, non difficile est pronunciare.

*In An-
madvers.*

Machias

*volum
de Prin-
cipe.*

§. 4. Cæterum, ut ad Legatorum jura propriè acceda-
mus, duo potissimum occurrunt: primò ut admittantur, de-
inde, ne violentur. Jam de priori membro agendum erit. Le-
gatus personam Majestatis repræsentat, ideò rejiciendus teme-
rè haudquaquam est, nisi justa aliqua causa subsit, quæ contrari-
um svadeat. Optimo igitur jure Annibal ab Hannone culpa-
tur, quando hic ait: *Legatos ab sociis & pro sociis venien-*
tes bonus Imperator vester in castra non admisit, jus genti-
um sustulit. Nimirum Annibal, Pœnorum Dux, contra fœdus
per Iberum amnem transierat, & Saguntum sociorum populi
Romani civitatem, obsidione cinxerat: quare Legati Romano-
rum mittebantur, qui à proposito Annibalem deterrerent, ne
Saguntinos prælio amplius lacçfferet. His obviam misit qui
dicerent, nec tutò eos adituros inter tottàm effrenatarum gen-
tium arma, nec Annibali tanto discrimine rerum operæ esse le-
gationes audire. Admissionis difficultas, cum omnibus gra-
vis, tum gravissima Legato est. Contemni enim magis, quam
negligi videtur. Sed morosi isti homines, omnibus bonis odio-
si, se ipsos potiùs egregiè fallunt, dum dignitatem suam alienò
tædiò aut contumeliâ auctum iri putant. Dion Syracusanus

*Liv. l. 21.
c. 10.*

A 3

summum

summum fortunæ ludibrium passus, cum Theodorum Principem Megarensē domi convenire vellet, diuq; ante fores detentus non admitteretur; comiti suo, quem adversitas nondum satis afflixerat, neq; docuerat, indignanti, feramus, ait: forsan & nos, cum in culmine dignitatis essemus, tale quid fecimus; turpemq; hunc fastum fastigium invenit. Lygdamus Tyrannus Lacedæmoniorum Oratoribus accessum denegans, valetudine se minùs firmâ uti, affirmat. Legati igitur, se Spartanos esse ostenderunt, & congruâ verborum allusione: *non venimus, inquit, cum Lygdamo luctaturi, sed locuturi.* Verùm publicè mores ejus exagitati sunt, & si quis difficilis aditu, superbus sermone existeret, Lygdamus appellabatur. Sed dispiciamus de causis, quæ repulsam Legatorum justam constituunt. Tres ponit Hugo Grotius, Vir acuminis ac omnigenæ doctrinæ incomparabilis, ortas ex personâ ejus, qui mittit, aut qui mittitur, tum ex negotio, ob quod mittitur. Quod mittentem concernit, cum hostis ille jam armatus est, bellum vel inferens, vel primis quoq; diebus illaturus, aliqua quidem exempla, ejusmodi Legationem rejiciunt, at sine applausu sapientum. Beligerantibus enim maximè necessarium videtur commercium Legatorum, quia non aliter ponuntur arma, nec aliter inicitur tranquilla pax. Durante bello, incidunt sæpè & alia negotia, quæ, nisi per internuncios publicos, transigi non possunt. Faciunt hûc verba Clarissimi Hornii. *Quamvis sufficiens causa subsit, quæ rejiciat suspectum Oratorem, & nemo cogi possit, ut admittat hominem, de cujus non tantum dubitatur fide, sed perfidia jam constat: ne tamen inhumanitatis alicujus insimulari Princeps possit, admittendus ipse videbitur. Interim honoris specie arctiori custodia observabitur: nec liberum permittetur egredi designatum hospitum, aut colloqui civibus, nisi presentibus fidelissimis hominibus, in quorum conspectu nihil seditiosi possit moliri.* Altera pars non satis ponderis habere videtur, si ob vilitatem comitatûs, vilitatemq; personæ

rejicia.

L. 2. de
 jure belli
 & pac.
 c. 18. n. 3.

Pol. l. 2.
 c. 8.

Hornii. *Quamvis sufficiens causa subsit, quæ rejiciat suspectum Oratorem, & nemo cogi possit, ut admittat hominem, de cujus non tantum dubitatur fide, sed perfidia jam constat: ne tamen inhumanitatis alicujus insimulari Princeps possit, admittendus ipse videbitur. Interim honoris specie arctiori custodia observabitur: nec liberum permittetur egredi designatum hospitum, aut colloqui civibus, nisi presentibus fidelissimis hominibus, in quorum conspectu nihil seditiosi possit moliri.* Altera pars non satis ponderis habere videtur, si ob vilitatem comitatûs, vilitatemq; personæ

rejiatur Legatus. Nec enim de missi qualitatibus venit iudicandum, cum publicâ & Majestaticâ dignitate suffultus sit. Hæreticum quæ repellant argumenta nulla ratione conijcere possum. Propter hæreseos labem si rejiatur Legatus, illud etiam jus, quod apud omnes obtinet, infringatur, necesse est. Sufficiens causa subest, si constet, eum ut alieni imperii invasorem accedere, aut aliquid contra Majestatem admittentis sustinuisse designare, si perfidiâ fuerit notatus, & quæ alia occurrere possunt. Ratione negotii rejici poterit Legatus, si luculenta testimonia loquantur, se hostem agere populumq; in turbas atq; seditiones excitare. Quin si hæc talia prævideantur, moneri poterit, ne mittatur legatus, aliàs hostis locò eum futurum. Propterea prudenti consiliò Romani, antequàm cum Senatu Legaticolloquerentur, causas admissionis exquirebant: *Si quæ incognita Legationes adventarent, antequàm admitterentur, exploratores, minoresq; magistratus profecti obviam, qui, quæ petentes venirent, imprimis inquirebant: Itaq; ad Apollinis extra urbem Senatu evocato postulata noscebant; quos, si videbatur, admitti jubebant, quod testatur Alexander ab Alexandro.*

ii. Gen.
dier. c. ii.

§. 5. Verius etiam causam justæ repulsæ quæ si vero in certis temporibus atq; negotiorum momentis, quæ Legatum admitti minimè patiuntur. Urgentibus Reip. negotiis, aliò sæpè transmigrandum est, & tunc inhumanitatis non erit arguendus Princeps, si Legatus eum sequatur, responsionem ab eò accepturus, tempore & loco magis opportuno. Ita Scipio Legatos Carthaginensium advenientes quidem suscepit at desideria ipsorum non illicò atdivit, verùm Tunetam venire jussit. Eodem prorsus modò princeps nostri ævi, si quando accendunt Legati, nec ratio statûs, ut loqui solemus, statim illos audiri patitur, significat illis, se aliò, sed magis congruò tempore pronis auribus mandata accepturum. Exemplum hoc seculum tulit. Dominus enim de Cheuriers Legatus

tus

us Regis Gallia missus ad Ducem Sabaudia, pro confirmanda pace inita inter eum & Regem. Ut advenit Thurinum, & peractis publicis privatisq; solennibus, coepit causam suae Legationis explicare; At Dux optimè sciens, se in verba concordiae jurare non posse, nisi demum accepta ab Hispaniae Rege jurisjurandi formulam, inducias ad aliquot dierum spatia petiit, pro mutua ista fermocinatione. Interea Veredarius advenit, literas Regis Hispaniae exhibens, juxta quas ipse Dux cum Legato negotium confecit. Ita, si gemitu ejulatuq; tota personet Regia vel ob luctum vel incommodum aliud grave, ne molestiam aegris animis afferat Legatus, infecta Legatione, consultius domum regredietur.

§. 6. Quamvis nonnunquam contingat, ut Legati ipsi admissionem recusent. Res loquitur de Themistocle. Is se ipso monitore ab Atheniensibus ad Lacedaemonios missus est, ut, dum ipse moraretur, Lacedaemonii pariter spectatae dignitatis & fidei Viros ablegarent Athenas, eam videlicet gratiam, ut dolo dolo eludatur, si ipse Sparta retentus esset. Homo sagacis ingenii rem inventam perfectam reddidit. Nam Lacedaemonem postquam venit, non continuo Magistratum adiit, sed palam tarditatis & indulgentiae accusavit collegas, quos expectare se simulabat. Quae res hunc tandem sortita finem, ut nec quicquam querentibus Lacedaemoniis, muro & munimentis (quia id agebatur) cincta fuerit.

§. 7. Quod si verò semel admissus Legatus, statim ex Jure gentium caput ejus sacrosanctum atq; inviolabile habetur. Hinc unanimis populorum consensus, neq; invenietur ulla nisi forte effrenata gens, quae neget, Legatorum capita esse ἀσυλα & inviolabilia. Ejusmodi autem violatorum Legatorum exempla plurima dari non diffitemur. Doctissimus Carolus Paschalius ex Appiano refert, Legatos Romanorum, qui caduceum ferebant, inviolabili veste circumamictos frustatim concisos à Gallis, eaq;

23, 18.

eaq; frustra per campos disseminata. Eò prorupit Pisonis cupiditas & scelus atq; audacia, ut non modò Bessicæ gentis Principem, cum ille in castra venisset, & magna auxilia peditum equitumq; polliceretur, securi percussisset, verum etiam comites ejus trucidârit, ut gravi facundiâ hoc facinus commemorat disertissimus Orator. Inaudita immanitas est Helenæ Rufforum Reginæ, quâ nihil truculentius fama audivit unquam; Legatos quippe Prutenorum præsidis (qui foedus per nuptiarum vincula illi debebant offerre) vivos & valentes omnes sepulchro condidit; quinquaginta insuper illustres viros clam cremari jussit, post quinque millia pellexit, jamq; vino sepultos immani neci dedit, quod scelus eleganti ornatoq; dicendi genere describit doctissimus Fredericus de Marselaer. Sed isti infru-

*Orat. 37.
in Pis.*

*In Legat.
l. 2. disert. 13.*

§. 8. Sed nunc in causas inviolabilitatis descendamus. Magna scriptorum est consensus, jure gentium incolumitatem Legatoriam valere, sed rationem paucissimi explicare videntur. Certè exemplis controversia ista finiri nequit, cum sapius sint injusta ac indebita. Neq; cum Bodino ad Romanos erit confugiendū, ac si ab illis quid jus postulet addiscendum unicè foret. Positò enim, non concessō, nunquam in jus gentium peccasse Romanos: exempla sanè, si rationes desint, nihil probabunt. Habebant equidem Romani suos Feciales, viros admodum religiosos, jurisq; & rerum agendarum peritissimos, quibus inconsultis, nunquam bellum suscipiebatur, aut foedus percutiebatur, quiq; controversias omnes circa jus belli & pacis ortas, componebant. Sed suntne præjudicia horum pro ipsissimis gentium juribus habenda? Possuntne Feciales exterarum gentium

*L. 5. de
Repub. 6.*

B

lingvis

L. 2. de
jur. bell.
& pac.
c. 18. n. 4.

Practica
Philoso-
phica
l. 2. c. 14.

lingvis & animis imperare? persuasissimus sum, quod sola au-
toritas debitum ab indebito minimè secernat. Neque ad alio-
rum, *sapientum judicia* cum Grotio recurramus. Nemo ne-
scit, servilem esse superstitionem, quæ prudentissimorum etiam
judicia, tanquam ex tripode dicta adorat. Homines nati, qui-
bus solenne est erroribus duci. Deinde Grotius jus gentium
pro jure voluntariò habet. Non etiam hoc vocabulum ad il-
lorum officiorum extendit pactiones, quæ fuissent absq; ullò pa-
cti respectu debita. Verùm ex ipso quæramus, quando volun-
tas ista apud omnes populos invaluerit? quis gentes in conci-
lium collegerit, ad sancientas istas tabulas, quibus formulæ ho-
rum pactorum continentur? Sanè si jus gentium non ab ipsa
naturâ promulgatum esset, sed solò consensu niteretur, citra
controversiam mutuò dissensu rursus resolvi posset, quod ta-
men de Legationibus dicere iniquum est. Fluit igitur omnis
securitas Legati ex principis sui persona, quam repræsenteret;
adeò, *ut offendere, atq; occidere eum*, non magis liceat, quam
ipsum Principem. Ita etiam, si hostis fuerit Princeps extraneus,
cujus Legati alterius territoriū, volente Domino, ingrediuntur,
eo honore ac reverentiâ colendi sunt, ac si Princeps ipse ad a-
micum colloquium in hosticum veniret. Nam dum se hostem
peregrinæ Reipublicæ non profitetur, quin amicè colloqui de-
siderat, personam hostis exuisse, meritò censendus est. Non
possū non in conspectū sistere verba supra laudati Excellentissi-
mi Domini VVendeleri. *Exigit officium, ut securitas Legato præ-*
stetur, cum aliàs nihil cum hoste effecturus sit. Unde jus gentium
invaluit, contra quod peccant, qui Legatum pulsant. Ex hoc
fundamentò promanat, quod omnes etiam comites inviolabi-
les sint & omnia vasa. Spectat huc formula Fecialis istius, qui,
priusquam cum Albanis colloqueretur, rogavit Tullum: *Rex,*
facisne tu me Regium nuntium populi Romani Quiritium? va-
sa comitesq; meos? Rex respondit: Quod sine fraude meâ, popu-
liq; Romani Quiritium fiat, facio. Et si quis præstitâ securitate
aditum

aditum ad se Legato concedit, tacite securitatem comitibus fecisse videtur, cum Legatus Principis sui personam sine comitatu vix repraesentare possit.

§. 9. Ea verò securitas & integritas Legatorum, de quâ jam diximus non obligat solum eum, ad quem missa est Legatio, sed eos etiam, per quorum fines transeunt Legati. Hugo Grotius vult: si certum sit, ire Legatos ad hostes eorum, non intercipi tantum Legatos, sed etiam interfici posse, non reclamante jure naturæ. Verum acutè eum castigat Magnificus Dominus Zieglerus: *Quid verò si ad hostes quidem eant tertii, sed ut ad concordiam eos & pacem ineundam disponant? quid si ab hostibus quidem veniant, sed ut intercessores querant & mediatores, qui hostem sibi reconcilient? Utrobique cessat præsumptio, quæ violationem aliàs suadere possit, nempe in tuum damnum vel injuriam Legationem susceptam esse.*

*In note
ad Hu-
gonem
Grotium
l. II. c. 18,
§. 5.*

§. 10. Quod si ab hoste amici tui ad amicum aut confœderatum per territorium tuum mittatur Legatus, non statim ut hostem illum tibi persequi licebit. Si enim transiturus tuum fundum permeare necesse habet, sanctè polliceatur, se nec in te, nec fœdere junctos quempiam sollicitaturum. Si jusjurandum persolvere detrectet, tunc facillè apparet, aliud fronte promitti, aliud corde foveri. Quid verò agendum? justè Legato denegatur transitus injustè verò tibi bellum infertur: quia, si confœderato damnum accelerares, cujus in te redundaret calamitas, nihil aliud, quàm pestem, ex occulto grassantem per viscera tua esses recepturus, cum devictò fœderato, te, qui fœderis vi alteri succurreris, aggredere. Quicquid rei sit, recta ratio dicitur, honori Legationis aliquid concedendum, neque ejusmodi Legatum, quam diu intra terminos honestatis substituerit, trucidandum esse. Sed hæc sint, quæ nullo contradicendi pruritu, in medium afferre animus fuit, nihil interim veritati, vel rectiùs sentientis judicio præjudicaturi.

§. 11. Quemadmodum verò Legatus sanctus & inviolabi-

lis est, etiam inter medios hostes ubi vis locorum, quam diu li-
mites honestatis non excefferit: ita omni securitate excidit, si
forté reus fiat atrocis criminis & convincatur, quod in iis tan-
tùm locum habere arbitramur, quæ ex jure gentium sunt, &
cùm divinis, tùm naturalibus legibus paratam pœnam habent:
levia quippe crimina à generosioribus animis dissimulari so-
lent, id quod observavit Princeps Persarum in Ottone Brug-
mano; *de quò è Persicis Olearii agit Erasmus Francisci.* Distin-
ctissima autem sunt, privatum hominem occidere & conspira-
tiones meditari, publicamq; tranquillitatem turbare. Illud
vocat, quod maximè in privatorum vergit injurias ac damna,
hoc quod proximè statum aut dignitatem imperantis lædit.
Quapropter aliud crimen erit privatum, aliud publicum. Quod
itaq; pœnam concernit, quam Legatus privatis delictis mere-
tur: potest e quidem alienus princeps Legatum tenere in vin-
culis, donec ab alterò ad pœnam avocetur, vel remittere cum
postulato, ut alter eum aut dedat aut puniat: posterior tamen
modus magis civilis est, & a lenda paci maximè inservit. Non
enim planè pro peregrinò habetur Legatus ex domini sui per-
sonâ, quâ coruscet. Ne dicam quod gravius peccaverit in su-
um, quàm alienum principem: illum in impositâ sibi perso-
nâ, hunc in subditò tantùm lædit. Tantâ prolixitate minimè
opus est in atrocibus delictis publicis. Sive enim in seditionem
excitet animos subditorum, sive ipse conjuret, & gladium è va-
ginâ ducat, ubique ut hostis publicus jure interimitur.

§. 12. Nunc consulamus eos autores, qui Legatos etiam
post facinus commissum jure gentium salvos esse capiunt. In
diversas partes abière prudentiæ civilis Doctores, variisq; & col-
lidentibus invicem argumentis egregia hæc materia fuit per-
tractata. Totam a. in universum diversè sentientiū cohortem in
tres classes secessisse compertum huc usq; est. Alii culpam ab
iis omnem transferunt: alii conjuranti tantùm patrocinantur:
Hugo Grotius gravitatem delicti concedit, sed gravibus pœnis
Legatos non reservat.

§. 13.

§. 13. Primi ordinis nullum Legati scelus publicum excipiunt, id exigunt modò, ut obsequii necessitas obtendatur; Nam subditi non esse, rimari negotia & cogitata principis sui, cui exequendi celeritas unicè incumbit; neq; ex libidine suâ Legatum agere, sed ex Principis sui mandatò. Ita cum aliis sensisse videtur Franciscus Levayer Advocatus quondam Parisiensis. Sed quis absurda opinionis praesidium quærat? honesta imperet Princeps necesse est, aliàs Legatus cavebit, ne id agendum in se suscipiat, quod lumini rectæ rationis & juri gentium adversatur. Non hospiti frangere licet sanctimoniam, cum & turbulentum hospitem paterfamilias verberibus compescat.

Citante
Besold.
20. p. 61.

§. 14. Secundi ordinis concedunt aliquam culpam, sed valdè extenuant. Albericus Gentilis: peccatur, inquit, in jus gentium graviter, si in vi repellendâ supra, quam oportet enit amur. Sed Legatū hunc interficiendò longè magis, quam est necesse, seditur: abire enim Princeps illum jubere potest. Igitur non est interficiendus. Sed nihil refert, conjurationem istam esse inermem; nisi existimemus, hostem perjurum salvum debere esse, nondum factâ alterius cœde.

L. 11. 18.
p. 123.

§. 15. Tertii tandem ordinis est Hugo Grotius. Is enim hanc sententiam defendit, jure gentium non licere pœnas sumere ab ipsò Legatò, si sacra gentium jura attaminare fuerit ausus. Adfert autem pro suâ sententiâ non tantum sapientum judicia, sed & conjecturas. Sapientum judicia quod concernit, utitur primùm testimonio Livii de Legatis Tarquinii, qui hostilia tentaverant & tamen gentium jus valuisse, ne hostium locò essent: Deinde concurrat ad Salustium, quod Bomilcar comes Legationis, magis reus fiat ex æquo bonoq; , quam ex jure gentium: voluit igitur Grotius ita colligere ex hoc dictò: Si jus gentium tum violatur, quandò in comites Legati animadvertitur, multò magis violabitur, quandò Legati suppliciis afficiuntur. Has verò conjecturas habet: Legatos ultra jus communium viatorum privilegii nomen sustinere, neq; ob delictum violabiles fieri, quia hâc ratione, nihil magni, nihil præcipui in iis reluceret. Præterea securitatem Legatorum utilitati, quæ ex pœnâ est, præponderare: non pœnam habere posse per eum, qui Legatum misit, volentem, & si nolit, ab ipso exigi bellò, tanquam criminis approbatore. Hæc sunt Grotii argumenta, quibus addi posset, quod Legati & his similes, publicâ fide venientes, maximè sint à pœnâ excipiendi, quia subeunt personam Principis, qui sanctus & inviolabilis est: neq; minore pollet autoritate, illò, qui Legatum punire gestit, sed æqualis eidem est. Jam æqualis ab altero æquali non coercetur, nedum condemnetur.

L. 11. c. 18.
n. 4.

§. 16.



§. 16. Speciosæ hæ sunt rationes, quæ incautum facile in errorem inducunt. Sed de singulis ordine agamus. Quod Legati Tarquinii recuperandi Regni consilia struentes, hostili animo non fuerint excepti, & jus gentium apud illos valuerit, non adeo obest nostræ sententiæ. Nam Romanorum res id temporis post ejectos Reges non satis erant confirmatæ, sed universum Latium vicinorum suspectam potentiam habebat. Id itaq; summâ ope tuendum esse arbitrabantur Romani, ne ullum periculum libertati foret; & hinc Legati fuere dimissi, ne Romani solum Reges sede suâ deturbasse, sed etiam Legatos ficto proditoris crimine horrendo more interfecisse viderentur. Consulebant famæ, ut existimarent exteræ nationes, non perfidiâ subditorum, sed nimîâ suâ sævitiâ Tarquinium Regni diadema amisisse, qui ne in concitatores quidem publicæ tranquillitatis & turbatores populi animadverterent. Salustii locus tantum abest, ut nostram sententiam destruat, ut eandem potius confirmet. Jus enim gentium sanctos & inviolabiles vult esse Legatos, quamdiu intra terminos honestatis subsistunt, nec aliquid contra jus naturæ & gentium perpetrant: at quoties admiserint scelus, omni posthabita justitiâ svadet æquitas, ut dedantur ad pœnam: Imò Grotius sibi ipsi respondet, dum existimat, inviolabilitatem Legatorum solis exemplis evinci non posse, nam extare satis multa in partem utramq;. Rectè igitur Theodah: tus Rex Gothorum ad Legatos Justininiani Imperatoris respondit: *Sanctum apud homines Legati nomen plenumq; honoris. Sed hoc jus Legati sibi interdum servant, quamdiu suâ modestiâ Legationis dignitatem tuentur. Ita enim existimant homines, fas esse, vel interficere Legatum, si is in Principem, ad quem mittitur, sit injuriosus, aut alienum matrimonium violet.* Philippus II. Rex Hispaniæ, cum Legatus Venetorum, familiam suam adversus justitiæ ministros violentas manus admovere jussisset, ad Principes Christianos scripsit, se nolle Legatos suos immunitate muneris justitiâ sanctiores esse; quin legibus eos regni conveniri & condemnari posse, si quando facinus quodpiam ab officio à mandatò sibi imposito alienum commisissent. Conferatur Chokier.

Procopius
us Caesar.
l. 1. Goth.

De Leg.

§. 17. Nunc ad conjecturas accessum faciamus. Veritati congruum est, privilegia Legatis aliquid tribuere ultra jus commune, & Legatos non tantum ab injustâ vi, sed etiam justâ tutos esse. Sed isti iniquè sentiant, qui ob quodvis delictum Legatum ordinariæ pœnæ subjiciunt: ad sustinenda autem ultra jura communium viatorum nomina facit, quod Legatus bello deprehensus retinet libertatem, & quæ cæteræ accedant dignitates. Nec est quod admittamus alteram conjecturam, securitatem Legatorum utilitati, quæ ex pœnâ est, præponderare. Minimè omnium præsumitur, securitatem Legati in juris gentium sceleratissimâ violatione versantis, hominis sine ullâ religione ac fide (nam de hoc quæstio est) anteponendam utilitati pœnæ, ut Grotius loquitur, notione utilitatis, admittentis secu-

1564.
securitatem colligens. Salus enim universi populi in Regis incolumitate sita est.
Cætera, quæ hic moneri poterant, sicco pede præterimus.

§. 18. Restat ultima exceptio: Certum est, Legatum subire vices Principis, neq; Principem ab aliò Principe damnari posse. Concomitatur igitur Principem semper securitas, quamdiu amicum se gerit. Sed si hostis personam induit, omni sanctitate corporis sui excodat necesse est. Hæc ratione innumeros Reges captos esse, historiæ testantur.

§. 19. Constitutò jam non eò quidem, quò par erat, modò, sed quò institutò nostrò licebet, Legatum jure admissionis & securitatis gaudere, quarum quarum etiam sit virum, ad jus talionis ordine jam devolvimur, paulò intentiori animò reputatufi, an hoc rerum statu, si Principis alicujus Legati nihil mali tentantes, nefariè contrà omne jus ac fas violentur, talionis jure interfici, aut durius inclementiusq; tractari possint Legati ab eò venientes, qui tale quid ausus fuerit perpetrare.

§. 20. A cujus controversiæ affirmativâ sententiâ stare deprehendes viros supra humanæ prudentiæ aleam constitutos, qui vel solò nomine in suam quempiam possent pertrahere opinionem. Acerrimos se profitentur propugnatores Bortius, König, Alberic, Gentilis, Paschalius, Fredericus de Marsellaer, non connumeratis aliis. Neq; verò hæc sententia suis destituitur rationibus, quas sistere candidè in præsentia lectori, juvabit. Urgent, quòd Legatus Principis lædentis personam referre videatur; neq; insolitum sit, ut subditi luant pœnas ejus crudelitatis, quâ Principes deliquere: quòd non violari, sed jus reddi, creditum sit, jura violanti, si jus non præstetur. Æqvissimum esse, ut par pari referatur, & dolo dolo mutuâ compensatione tollatur. *Nullatenus retaliationem* (Tullianæ elegantia candidatum hæc vox minimè corruper) *dictamine recte rationis videri inhiberi*: quippe in omnium hominum impressum atq; insignitum animis, ut, quòd quisq; sibi fieri nolit, id ipse alteri non faciat, cui in pœnam meritò succedit, ut fides sibi non servetur, quòd ipse fidem non præstitit. Et si talio locum non inveniatur, periclitari Principum æqualitatem. Præterea exemplis suam assertionem stabilire conantur: Quasdam civitates bello Punico, quæ à Romanis ad Pœnos transire jamdudum animò volutaverant, cautè admodum egisse. Cùm enim obsides, qui Romæ detinebantur, recuperare studerent, prius, quam ipsæ desciscerent, simulasse turbam inter finitimos ortam, quam sedarent Romanorum Legati: sed missos ut contraria pignora retinuisse, durius inclementiusq; habituros, si tale quid sui fuerint experti. Atq; ita illæfos domum reduxisse.

§. 20. Plura forsàn affirmativam vel juvantia, vel illustrantia, adduceremus, nisi hæc potiora; quæ reliquorum compendium absq; injuriâ appellitaveris, essent. Largiendum sanè, talionem esse æqvissimam, *ut taliter patiatur quis ut fecit*, uti Isidor. loquitur: interrim

15. c. 27.

1565.

l. 2. c. 8.

n. 11.

rim in hoc casu nihil temerè pronuciandum. Principis personam refert Legatus, publicam tamen non privatam, non vitiiis conspurcatam, nec nocens, ac reus fieri potest ex peccatò alienò. Ergò, si quis Princeps Legatum alterius innocentem neci dederit, justam talionem minimè vocare licebit, si Legatum ejus, sed innocentissimè mandatis fungentem rursus occidi jubeat. Affliguntur belli incommodis subditi, quia & Principes & subditos in unum consentire, præsumitur: sed *tacitus ille*, ut Grotius vocat, *de securitate contractus* fidem ejus obligat, ad quem mittitur Legatus, quæ tamen & hostibus & violatoribus fidei data, servanda certè est. Non concedendum, inter regulas juris hanc etiam celebrari, ut delictum liceat delictò, & dolum dolò expiare; nihil enim contra justitiam & honestatem admittendum. Quæ de retaliationione in medium afferuntur, hîc loci minimè quadrant, uti vel ex dictis manifestum est. Incongruè Carolus Paschalius excipit: Legatum meritò occidi, si veniat ad ferendas discordias & sollicitandam quietem publicam. Non enim tunc, quando punitur, violatur jus gentium, quia sanctitate corporis sui jam excidit Legatus. Hospitii jura violans eas pœnas meritò luit, quas jus dicitur. Parum autem roboris pro adversariorum temeritate dimicaturis per hanc additur rationem, quòd apud Principes, si talionis jus locum non inveniat, famæ jactura metuenda, dignitatisq; periculum verendum. Sed qualis quæsò in eo, quod recta ratio dicitur, & æquitas quam plurimarum gentium suffragiò approbata efflagitat, jasta famæ imminutio dignitatisq; periculum immineret? profectò, si ex eo quicquam famæ & splendori decederet, quòd Legibus obtemperaret, & divinis ac humanis præceptis suam vitam conformando, libertatem tolli in aprico positum est. Cùm illa demum veri nominis libertas censeatur, si actiones tuæ & legi divinæ & lumini rectæ rationis non repugnent. Jam verò æquitas requirit, ne infimæ sortis hominem lædas, quamdiu innocens agit, nedum Legatum, qui divinitatis quendam impressum characterem circumfert, & universæ reipublicæ instar est, durius inclementiusq; tractes; ut adeò nihil detrimenti metuendum dignitatis. Quin potius famam nonnullâ maculâ contaminaturus, injustissimiq; nomen promeriturus erit, si neglectâ lege Divinâ, æquitati ipsi, quæ plurimarum gentium mentibus, suaviter inserta est, contradicit. Imò eadem Legati sui alter justissimo bello vindicare poterit, quales à summo Numine approbari sacræ pandeætæ luculenter testantur. Præterea longè alia fors Legatorum est, quàm subditorum. Illi pacis ministri sunt, hi belli instrumenta. Exemplum exemplo opponere liceat. Cùm Legatos suos à Carthaginensibus Scipio Africanus violatos accepisset, re inconfectâ discedere Carthaginensium Legatos domum jussit. Qui postquam tempestate rursus in Scipionis classem essent relapsi: ex Scipione navium præfecto quæsitanti, quid facto opus esset: hos enim exemplo atq; omine malò reverbos? nihil, inquit, tale agamus, quales Carthaginenses, qui nec exemplo nec omine bonò mali facinoris rei sunt. Sic intactos remisit, committere nolens, quod in aliis culpabat. Deinde quoad carcerem aliquid concedi potest, quando Legati eorum, à quibus injuriam timere habemus, detinentur, ut securitati nostrorum apud alios consulatur. Quoties ab hostibus ad hostes proficiscuntur Legati, regionis, per quam hinc inde transeunt, aut commeant Principe invitò, non tam jure talionis, quàm hostium, puniuntur. Frustrâ enim aut rediculè sanctum illud appellitaveris, quod rebus tuis suâ malitiâ exitiosum. Hæc, quamvis propriam sedem in jure civili

inveniant, ὡς ἐν παρρησίᾳ tamen hîc erant aperienda.

Tantum est.

Τῷ Θεῷ δόξα!







Wittenberg, Diss., 1669-70

ULB Halle

3

002 271 419



Sb.

VDA7



390b.
: De rege Romanorum.
: De jure municipii
positivum ac naturale
: De foederibus.

Q. D. 'B.' V.
DISPUTATIO POLITICA
DE
JURIBUS LE-
GATORUM,

Quam
In Electorali ad Albim Academia

Sub

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. M. JOH: CHRISTO-
PHORO FUGMANNO,

Fautore suo, ac Conterraneo æviterno observantiæ
cultu prosequendo

Publicæ eruditorum ventilationi exponet

JACOBUS CHEMNITIUS, Belzig: Saxo,
A. & R.

In Auditorio veteri ad d. 22. Maji Anno M DC LXIX. Hor: 11

VVITTEBERGÆ,
In Officinâ Fincelianâ excudebat Elias Fiebig.